DE AERE ALIENO VXORIS VIVAE EX DOTE OMNIVM BONORVM EXSOLVENDO

AD L· LXXII· D· DE IVRE DOTIVM

PRAESIDE

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO ICTO
POTENTISSIMI REGIS POL· ET PR· ELECT· SAXON
CONSILIARIO AVLICO DIGEST· INF
ET NOVI P· P· ORDINARIO
CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS
ITEMQVE ORDINIS IVRIDICI
ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM
DIE MART· A· Q· S· P· EST, cIɔ Iɔcc XXXXIII
DISPVTABIT
IOANNES Trau-Gott ALBRECHT
GORLICIENSIS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA.

Biblioteca Nazionale Napoli
Digitized by Google

Digitized by Google

Pavllvs l. LXXII. D. de *Iure Dotium*

MVLIER BONA OMNIA IN DOTEM DEDIT. *Quaero, an* MARITVS, *quaſi* HERES, *oneribus reſpondere cogatur?* PAVLLVS *reſpondit, eum quidem, qui* TOTA *ex repromiſſione dotis* BONA *mulieris retinuit, a creditoribus eius* CONVENIRI NON POSSE: SED NON PLVS ESSE IN PROMISSIONE BONORVM, QVAM, QVOD SVPEREST, DEDVCTO AERE ALIENO

Digitized by Google

I

DOTIS IVDICIVM BONA FIDE INPRIMIS REGITVR IDEOQVE RESTITVTIO IN INTEGRVM VTRIQVE CONIVGI IN CAVSSA DOTIS FACILE CONCEDITVR

INDIGNISSIME decepit filiam ſuam SATVRIO ille, apud PLAVTVM, a) cui, cum metu infamiae et repudii a prauis conſiliis abſterreretur, DOTIS conſolationem illepide pater obiecit, atque ex hominum moribus perſuaſit, DVM DOS SIT, NVLLVM VITIVM VITIO PVELLIS VERTI. Neque enim cogitauit, quam foedae et peſtilentes de ipſa DOTE controuerſiae ſanctiſſima quandoque matrimonia perturbent, aut DOS iſta quam fertilis ſit materia diſſenſionum, niſi DOTE ingenii et uirtutis vxores defendantur. Sero illud ſenſit apud eundem PLAVTVM b) DEMAENETVS, qui, in neceſſitates duriſſimas delapſus, cum ſeruo DOTALI uxoris ſuae plus in manu eſſet, quam ſibi, tandem, ACCEPI ARGENTVM, inquit, DOTE IMPERIVM VENDIDI: cum, in magna egeſtate, non ſuppeteret aliud conſilium, quam uxoris DEFRAVDANDAE.

Imo-

a) Plaut. Perſ. act. 3. ſc. 1. u. 59.
b) Plaut. Aſin. I. ſc. I. u. 74.

Digitized by Google

Imouero cum in iudicium deducuntur illae de DOTIBVS VXORVM lites, tanto plus difficultatis habent, quanto diligentius illae controuerſiae tractandae ſunt, quae non iure ſubtili, ſed AEQVITATE et BONA FIDE, quod ueteres dicebant, et motu quodam iudicis reguntur. Nimirum illa coniunctionis maritalis ſanctitas, ille perpetuus conuictus, illa ſocietas incommodorum, quae ab uxoribus ad maritos, a maritis ad uxores, perueniunt, illa rerum omnium communicatio, tam uarias quotidie tamque inter ſe diuerſas cauſſarum formas pariunt, ut certa perpetuaque regula includi aut definiri commode non poſſint. Quapropter impeditior et fere perturbatior eſt cauſſa DOTIVM, poſtquam placuit, illud inter maritum et uxorem de DOTE iudicium BONI VIRI ARBITRIO inprimis contineri. Ita enim M. TVLLIO a) uiſum eſt, qui, dum de ubertate et ſublimitate artis noſtrae tradit, „ICtorum, ait, prudentiam maxi„me in illis iudiciis deſiderari, in quibus additum ſit: „EX BONA FIDE, aut, VT INTER BONOS BENE AGIER: „inprimis in ARBITRIO REI VXORIAE, in quo, QVID „AEQVIVS ſit et MELIVS, tractetur: in quo de DOLO „MALO, de FIDE BONA, de AEQVO et BONO, quid ſo„cium ſocio, VIRVM VXORI, VXOREM VIRO, praeſta„re oporteret, diligentiſſime et copioſiſſime diſputan„dum eſſe uideatur

a) Cic. Topic. c. 17.

Digitized by Google

Sed noſtri quidem certe, inprimis LABEO, POMPONIVS, CELSVS, VLPIANVS l.84. et l.6. §.2. D. *de Iure Dotium*, l. 21. D. *ſolut. matrim.* DOLI EXCEPTIONEM ſemper dotis iudicio ineſſe tradiderunt, ut ſi alteruter circumuentus eſſe uideatur, etiam maiori XXV. annis ſuccurrendum, atque, propter BONI et AEQVI ſanctitatem, non permittendum ſit, aut lucrari aliquem ex damno alterius, aut damnum ſentire propter alterius lucrum et commoditatem. Ex eodem fonte deducitur, quod non ſolum uxor, ſed etiam maritus, quamuis adulta in illo ſexu et aetate ſapientia, ſi in AESTIMATIONE DOTIS laeſus ſit, aduerſus mulierem in integrum reſtituatur. l. 7. §. 5. D. *de Donat. inter vir. et ux.* l. 6. §. 2. D. de *Iure dotium* l.6.C. *Solut. matr.* Neque enim ualebit pactum, quo efficeretur, ut dos apud maritum eſſet STERILIS et infructuoſa, quod MARCELLVS ait, l.4. D. de *Pact. dotal.* ſed, ſecundum DIVI SEVERI conſtitutionem, proſpiciendum eſt, ne, quod indigniſſimum cenſetur, mulier omnino dotem non habuiſſe uideatur. l.11. D. de *Pact. dotal.* Quod uideo etiam POMPONIO et PAVLLO placuiſſe l. 1. D. *Solut. matrim.* l. 71. D. de *Evict.* l. 2. et l. 6. §. 2. D. *de Iure Dot*

Denique, ex eadem cauſſa, IN AMBIGVIS, quod idem PAVLLVS monuit, pro dote, reſpondemus l. 70. D. *de Iure Dot.* neque committimus, ut uel marito FRVCTVS dotis illatae aut promiſſae, uel uxori ſpes dotem et patrimonium recuperandi, alterutrius coniugis fraude

fraude et incuria interuertatur. Sed hoc tamen obſeruandum eſt, incredibile illud ſtudium, quo cauſſa DOTIVM defendebatur, quamuis ipſa reſpublica, liberorum cauſſa inprimis, illud commendaret, aliquantiſper temperatum eſſe, poſtquam IVSTINIANO placuit, DOTES non eſſe NECESSARIAS, et matrimonia non DOTIBVS, ſed AFFECTV maxime, coniungi. l. II. C. de *Repud.* Apud GERMANOS quidem certe DOTIS cura olim remiſſior fuit, cum ſufficeret, uxorem ARMORVM aliquid ad maritum, nuptiarum cauſſa, attuliſſe. Hoc enim certiſſimum uinculum, haec arcana ſacra, hos conjugales Deos, in magna illa paupertate ueterum, arbitrabantur. (a) Sed de his quidem deinceps locus erit exponendi

II.

DOS IMMODICA:
QVID SIT IMMODICVM.
CONTRA PROMISSIONEM DOTIS IMMODICAE VXOR IN INTEGRVM RESTITVITVR

IGITVR FAVEMVS quidem DOTIBVS, non ſolum maritorum cauſſa, ſed ipſius reipublicae et inprimis LIBERORVM cogitatione, quod ait POMPONIVS, l. I. D. *ſolut. matri-*

a) Tacit. de morib. Germ. c. 18.

matrimon. et indignum iudicamus, uxorem, quae copiis ſuis familiam inſtruere et exornare poſſit, dotem STERILEM, aut MORTVAM, quam MARCELLVS. l. 4. de *Pact. dotal.* et l. 7. §. 1. D. de *Donat. inter uir. et ux.* appellauit, id eſt DOTEM, ex qua maritus NON FIAT LOCVPLETIOR, ad ſuſtinenda onera matrimonii, quaſi dicis gratia, afferre

Sed, uti dotem INFRVCTVOSAM non facile admittimus, ita profecto ſanctitas illa et BONA FIDES, qua dotis iudicium et matrimonia reguntur, DOTEM IMMODICAM et iuſto largiorem non minus auerſantur. Hanc immodicam SIMO apud PVBLIVM TERENTIVM a) DOTEM SVMMAM appellauit, cum Chremes ultro ueniſſet ad Simonem,

- - - unicam gnatam ſuam,
CVM DOTE SVMMA, filio uxorem ut daret.

Haud paullo luculentius IMMODICVM interpretatur VLPIANVS, l. 15. pr. D. de *Donat. int. uir. et ux.* QVOD VIRES PATRIMONII EXCEDAT: hoc enim SATIS IMMODICVM appellat. Eodem fere ſenſu MVNVS IMMODICVM POMPONIVS accuſat, quod quandoque Kalendis Martiis aut natali die uxori detur a marito l. 31. §. 7. D. de *Donat. inter uir. et uxor.* Hoc eſt, quod

a) Terent. Andr. Act. I. ſc. 1. v. 74.

quod PAVLLVS l. 12. D. de *Impenſ. in res dotal. fact.* impenſas MODICAS, QVAE FRVCTVM FVNDI DOTALIS NON ABSORBEANT, marito in matrimonio imponat: cum contra ſint IMMODICAE, quae dotem faciant INFRVCTVOSAM. Non diſſimili forma IMMODERATVM dixit VLPIANVS, QVOD RES PROPRIAS CVIVSQVE EXHAVRIAT. l. 24. §. 5. D. *ſolut. matrim*

Sed appoſite inprimis PAVLLVS, dotem IMMODICAM omnino conſtitutam iudicauit, ſi dos, emergente AERE ALIENO, VLTRA VIRES PATRIMONII promiſſa uideatur, l. 43. §. 1. D. de *Adminiſtrat. et pericul. tut.* aut, ſecundum TERENTIVM CLEMENTEM, ſi plus nomine dotis promiſſum ſit, quam ualeant uxoris facultates, l. 61. pr. D. de *Iure dotium*

Itaque, ut in uiam redeamus, non rata eſt dos IMMODICA, quae FACVLTATES MVLIERIS EXCEDIT, uxoris nomine marito conſtituta. Et primo quidem, ſi CVRATOR, uel generalis, uel dotis dandae cauſſa conſtitutus, ſciens, forte per gratiam, AMPLIVS doti promiſerit, QVAM COPIAE MVLIERIS VALERENT, IPSO IVRE NVLLA EST promisſio: cum uideatur curator A DOLO parum abfuiſſe, qui uxoris patrimonium DOTE IMMODICA, non ut homines frugi ſolent, onerauerit. Ita certe TERENTIVS CLEMENS iudicauit. l. 61. pr. de *Iure Dotium.* Neque enim iudicium bonae fidei, quae in DOTIBVS maxime ſpectanda eſt, ferebat, aliquid DOLO curatoris, aut per gratiam, admitti

Digitized by Google

Sed paullo ſecius fiet iudicium, ſi a curatore IGNORANTE, qui amplius de facultatibus mulierculae ſperabat, bona fide, ultra uires patrimonii, quod antea opimum uidebatur, ſed poſtea EMERGENTE AERE ALIENO deminutum apparebat, dos ſponſo ſit promiſſa. Tunc enim, ne marito, qui mulierculam, niſi dotis auxilio commendabilem, non ducturus fuiſſe uideatur, iniuria fiat, utrinque ex BONA FIDE rationes conferendae ſunt: ut neque ſponſus incontinentius flagitet, quae praeſtari ab uxore non poſſunt, et uxor, conſtante matrimonio facta locupletior, RELIQVVM dotis, a curatore promiſſum, quod antea uires patrimonii excedebat, marito liberaliter exſoluat. Ita PAVLLVS commentatur, l. 43. §. 1. f. D. *de Adminiſtr. et peric. tut*

Imo uero, ſi ipſa etiam mulier, maior XXV. annis, dotem iuſta menſura ampliorem per ſe promiſerit marito, POMPONIVS auctor eſt, ſi circumventa uideatur, illi EX AEQVO ET BONO ſuccurrendum eſſe, ne per lucrum mariti damnum patiatur. l. 6. §. 2. D. de *Iure Dotium.* Sed inprimis mulieri minori, IN DOTIS CONSTITVTAE MODO, ſecundum VLPIANVM, ſubuenitur, ſi circumuenta VLTRA VIRES PATRIMONII, uel TOTVM PATRIMONIVM, in dotem dederit marito. l. 9. §. 1. D. de *Minor.* Quod uideo etiam DIOCLETIANO et MAXIMIANO placuiſſe. l. 6. C. *Solut. matrim*

Ne tamen res ſanctiſſima, et, quod PAVLLVS ait, l. 1.

Digitized by Google

l. 1. D. de *Iure Dotium*, EX VOTO ipſius uxoris perpetua, obtentu circumſcriptionis dotisque immodicae ſubinde moueatur atque perturbetur, adeoque incertae ſint mariti rationes, opportune ALEXANDER monet, non confeſtim reſtitutionis beneficium ADVERSVS DOTEM uxoribus a Praetore tribuendum, ſed AVDITA PARTE ADVERSA, et CAVSSA COGNITA, rebus omnibus excusſis, utrum uxor circumuenta uideatur, ſtatuendum eſſe: cum difficile ſit, IN BONAE FIDEI negotiis FIDEM datam infirmare. l. un. C. *Si aduerſ. dotem*

Quae cum ita ſint, dicendum eſt, dotem IMMODICAM, QVAE VIRES PATRIMONII EXCEDAT, DOLO MALO a curatore SCIENTE conſtitutam, ipſo iure NVLLAM ESSE, et repeti confeſtim, uel bona fide promiſſam a curatore, uel ab ipſa muliere, quamuis maiore XXV annis conſtitutam, SI MAGNA DIFFICVLTAS appareat, beneficio reſtitutionis in integrum, intra legitimum tempus, ad IVSTVM MODVM reuocari. Vix enim attinet monere, ſi CELSVM audiamus, ubi quaeritur quantae pecuniae dos promitti poſſit, IVSTVM fere MODVM EX FACVLTATIBVS ET DIGNITATE VXORIS AC MARITI ſtatuendum eſſe, quousque ratio iuſta patiatur l. 60. D. de *Iure Dotium*, ut appareat, arbitrio iudicis laxiori in illa cauſſa inprimis locum dari

Digitized by Google

III

OMNIA BONA IN DOTEM
DARI POSSVMT.
FAVORABILIS EST DOS OMNIVM BONORVM
SED
FACILE EX ILLA SVSPICIO CIRCVMVENTIONIS
ORITVR
VXOR NON DIFFICVLTER IN INTEGRVM
RESTITVITVR
ADVERSVS DOTEM BONORVM OMNIVM
PROMISSAM

ACCEPISTI, promiſſionem DOTIS IMMODICAE, inprimis SI DOLVS cuiusquam interuenerit, uel IPSO IVRE NVLLAM eſſe, uel certe beneficio RESTITVTIONIS IN INTEGRVM ſubinde arbitrio iudicis, ad IVSTVM MODVM, ſecundum facultates patrimonii et utriusque coniugis dignitatem, reuocari. Sed illa demum uidebitur IMMODICA, ut ſupra obſeruatum eſt, quae VLTRA VIRES patrimonii promittatur, aut, cum PLVS ſit in promiſſione, quam FACVLTATES VXORIS VALEANT. l. 43. §. 1. D. *de Admin. et pericul. tut.* l. 60. et 61. D. *de Iure Dotium.* Hoc eſt, quod Chremes ille apud PVBLIVM TERENTIVM a) ſe dotem, ait, PRO

a) Terent. Heautontim. Act. V. Sc. I. u. 67

PRO RE SVA, id eſt, ad IVSTVM modum, pro facultatibus et dignitate utriusque, filiae conſtituiſſe

Duo talenta, PRO RE NOSTRA, ego ESSE decreui SATIS.

Quapropter, cum bona fides IVSTVM MODVM deſideret in DOTIBVS conſtituendis, uideri poſſet, dotem non ſolum illam, QVAE SVPERET PATRIMONIVM uxoris, ſed etiam hanc, quae MAXIMAM illius partem, uel TOTA etiam BONA, EXHAVRIAT, IMMODICAM uideri

Ita enim PROCVLVS ait, ſe ruſticos quondam dicentes audiuiſſe, PECVNIAM SINE PECVLIO ESSE REM FRAGILEM, et perire patrimonium, niſi ſemper aliquid SVPERSIT, QVOD PRAESIDII CAVSSA reponatur. l. 79. §. 1. D. *de leg. 3*

Quid igitur dicemus? An ferenda erit pactio, qua mulier BONA SVA OMNIA IN DOTEM DEDERIT marito? Videtur enim ad PAVPERTATEM uel potius EGESTATEM et MENDICITATEM, peruenire, quae BONA SVA OMNIA DOTE EXHAVRIAT et nihil reliquum habeat, quo in magnis neceſſitatibus utatur: ut dubitari uix poſſit, utrum, DATIS BONIS OMNIBVS, dotem IMMODICAM conſtituiſſe uideatur

Verum enim uero, uel LIBERORVM inprimis CAVSSA, quorum NIMIO VOTO, quod VLPIANVS ait, l. 1. §. 3. et 8. D. de *Ventre inſpic.* parentes plurimi ducuntur, et quorum ſpe, ſecundum POMPONIVM, l. 1. D. *Sa-*

lut. matrim. ſalus reipublicae et ciuitatis continetur, uel certe cogitatione dulciſſimae coniunctionis et MARITALIS CONCORDIAE, nihil PER SE uitii habere uiſa eſt conuentio, qua marito ab uxore, nuptiarum cauſſa, BONA OMNIA ſubinde promittuntur

Nimirum aliquando, ex ipſa IVRIS NECESSITATE, BONA OMNIA uxoris, DOTIS NOMINE perueniebant ad maritum. Haec enim lex erat nuptiarum, quibus mulier uiro IN MANVM, quod dicebant ueteres, CONVENIEBAT, ut uxor pro FILIAFAMILIAS in POTESTATE mariti uerſaretur, a) et ſe ac ſua omnia permitteret marito. Audiamus M. TVLLIVM b) qui, CVM MVLIER, inquit, VIRO IN MANVM CONVENIT, OMNIA, QVAE MVLIERIS SVNT, VIRI FIVNT, DOTIS NOMINE: ut nihil retinuerit mulier, ſi CONFARREATIS maxime NVPTIIS in poteſtatem mariti conceſſiſſet

Atuero, non ſolum IVRIS NECESSITATE imperante, ſed ſaepe etiam VOLENTES, caritate maritorum, quos propter dotem obſequentiores et meliores ſe nacturas arbitrabantur, et inprimis cogitatione liberorum, quibus nihil humano generi dulcius eſt, ſuo arbitrio BONA OMNIA IN DOTEM maritis ſponte obtulerunt. Nulla frequentius NVBENTES formula in matrimonii repromiſſione utebantur, quam illa ſolenni: ME ET

MEA

a) Ulpian. Fragm. Tit. IX. Seru. ad L. IV. Aeneid.

b) Cic. Top. IV. §. 23. Hottomann. Diſputat. Iuris Ciu. de Dotibus, c. 1. §. 5

MEA OMNIA TIBI TRADO, ET PERMITTO. Sed hac quidem blandiſſima allocutione, ut res ipſa oſtendit, DOS OMNIVM BONORVM uidetur comprehendi: quod GAILIVS etiam obſeruat. a) Neque enim dubitari poteſt, his uerbis ab uxore dotem OMNIVM BONORVM EXPRESSE conſtitui marito. Certe aliquando PER INSIDIAS et FRAVDEM, ut generis uerba darent et conditionem filiabus INVENIRENT ſoceri, ſe filiabus BONA OMNIA daturos eſſe, comminiſcebantur. Ita Chremes ille, quem antea adduxi, apud P. TERENTIVM b) quamuis duo talenta PRO RE SVA ſufficere iam decreuiſſit, tamen,

Ita dictu opus eſt, (inquit) ſi me uis ſaluum eſſe,
et rem et filium:
ME MEA OMNIA BONA DOTI DIXISSE ILLI —
Vt eius animum, qui nunc luxuria et laſciuia
Diffluit, retundam, et redigam, ut quo ſe uertat, neſciat.

Non attingam MAIORES noſtros, quorum conſuetudine uxores, niſi REGVLAM IVRIS ſui PACTIONE corrupiſſent, BONA SVA OMNIA mariti curae et prouidentiae et uſui et adminiſtrationi permittebant. Ita enim illi: Wann

a) Gail. II. Obſeru. 82. n. 1
b) Terent. Heautontim. act. V. ſc. 1. u. 69. ſqq

Wann ein Mann ein Weib nimmt, ſo nimmt Er in ſeine Gewehr alles ihr Guth zu rechter Vormundſchafft. Iur. Prou. Sax. L. I. art. 31. et L. III. art. 45. ut uix dubitem, quin Illuſtri GAERTNERO noſtro aſſentiar, qui commentatione erudita a) comprobauit, Iure SAXONVM, imo GERMANIAE, COMMVNI inter DOTEM et bona PARAPHERNALIA diſcrimen non admitti

Sed, ut ad Romanos et IVS omnium commune redeam, non habebant uxores, quae BONA OMNIA IN DOTEM dederant maritis, cur facilitatem ſuam accuſarent, aut de paupertate, ad quam illae dote data redigebantur, aut de circumſcriptione aliqua omnino quererentur. Enimuero per maximam et ſanctiſſimam coniunctionem, qua, quod T. LIVIVS b) ait, non ſolum CORPORA, ſed etiam ANIMOS, ſibi inuicem DARE ſolent coniuges, diluitur ſuſpicio mendicitatis, et egeſtatis illius, quam ex pacto illo liberali timere potuisſent. Nimirum DOTIS CAVSSA PERPETVA eſt, ſecundum PAVLLVM, l. 1. D. de *Iure Dotium*, et VOTO EIVS, qui dat dotem, ita contrahitur, ut SEMPER apud maritum maneat, utque concordia illa rerumque omnium communicatio nulla poenitentia diſſidioue perturbetur. Ideoque recte THEODOS. et VALENT. uxoribus prae-

a) Gaertn. Diff. Acad. Diſtinctionem inter dotem et parapherna foris Germaniae non accommodandam eſſe. §. 5.

b) Liu. L. I. c. 9

Digitized by Google

praecipiunt, BONVM ESSE, mulierem, quae SE IPSAM MARITO COMMITTAT, RES ETIAM SVAS omnes, qualescunque, nulla parte excepta aut retenta, eius arbitrio et poteſtati gubernandas tradere, et in uoluntate eius ſpem plenam certisſimamque collocare. l. 8. C. de *Pact. conuent.* Nec minus commode IVSTINIANVS l. 2. C. *Ne fideiuſſ. dotium dentur*, uxorem, quae SEIPSAM MARITO CREDERE auſa eſt, prohibuit, pro dote FIDEIVSSORES exigere, ne cauſſa perfidiae in matrimonio ſubinde generetur

Quare apparet, non ſolum NON IMPROBASSE ueteres illam pactionem, qua bona omnia uxoris marito nuptiarum cauſſa traderentur, ſed etiam ſuaſiſſe, atque commendaſſe: ut FAVORABILIS uideatur illa conuentio, qua, nullo diſcrimine admiſſo, BONA uxoris OMNIA communicantur cum marito

Sed, ne diutius te teneam, aperte quidem PAVLVS in *lege illa* LXXII. D. de *Iure dotium*, quam tractandam ſuſcepimus, proponit, MVLIEREM BONA OMNIA marito IN DOTEM liberaliter dediſſe, neque habet, quod accuſet in illa pactione

Et luculentius paullo ALEXANDER, NVLLO IVRE PROHIBITVM eſſe, ait, foeminam bona VNIVERSA IN DOTEM DARE. l. 4. C. *de Iure Dotium.* Imo uero alio loco idem ALEXANDER laudat, aut certe non accuſat, connubiale illud foedus, quo OMNIA BONA in dotem data ſint marito, modo non appareat, circumuen-

tam eſſe mulierem in illa pactione, l. un. C. *ſi aduerſ. dotem.* Sed abſciſſius IVSTINVS etiam parentibus permittit, ut poſſint filiabus conſentire, qui TOTAM SVAM SVBSTANTIAM, nuptiarum cauſſa, uelint attribuere maritis. l. 7. C. de *Dotis promiſſione*

Quae res induxit ACCVRSIVM, ut, propter maximum FAVOREM huius pactionis, ſi qua foemina, SINE DOTIS MENTIONE, ſimpliciter nupſerit marito, BONA OMNIA IN DOTEM DATA eſſe iudicaret. a)

Verum enimuero, quamuis non diſſimulem, laudari a ueteribus foeminas, quae, nulla ſuſpicione commotae, ſe et SVA OMNIA maritis liberaliter permittant; tamen, cum mulierum ingenium cogito, quod plerumque non minus ſuſpicioſum eſt, quam rapax, inuidioſum et alieni appetentiſſimum, ſi non aliud expreſſe actum eſt, in ambiguo non admittendam eſſe cenſeo praeſumptionem, quaſi mulier BONA OMNIA in dotem dare uoluerit marito. Recte enim ueteres, dotis non modo conſtitutionem ſed etiam illationem, PROBANDAM eſſe cenſuerunt: cum non credamus, facile mulieres profuſa eſſe liberalitate in maritos. l. 1. 2. 3. C. de *dote cauta non numerat*

Ex his igitur, quae adhuc diſputata ſunt, intelligetur, admitti et commendari DOTEM OMNIVM BONORVM

a) Accurſ. ad Legem: *Mulier bona omnia.* 72. D. de *Iure Dot.* Gail. II. Obſ. 82. n. 2

RVM, uti etiam DONATIONES BONORVM OMNIVM, cum quibus dotes comparantur, l. f. C. *de Donat. ante nupt.* inter homines ingenuos et ſuae poteſtatis, ſi non INOFFICIOSAE ſint, tantiſper tolerantur. l. 35. §. 4. C. *de Donat.* Sed et illud expeditum eſt, VNIVERSORVM BONORVM DOTEM NON PRAESVMI

Imo uero, ſi probata fuerit promiſſio BONORVM OMNIVM, tamen, quod ſupra obſeruatum eſt, inter perſonas tam ſancto uinculo coniunctas FRAVDEM et CIRCVMSCRIPTIONEM non quidem ſuſpiciamur, ſed audiendam tamen mulierem cenſemus, quae, cum bona omnia in dotem dederit, ſe laeſam eſſe dicat illa pactione. Aperte enim VLPIANVS, ſubueniendum eſſe, ait, mulieri, ſi TOTVM patrimonium, CIRCVMSCRIPTA, in dotem dederit. l. 9. §. 1. D. *de Minor.* Quod et ALEXANDER approbauit, ut, ſi BONA OMNIA in dotem data ſint, uxori, CAVSSA COGNITA, ſubinde ſuccurratur. l. un. C. *ſi aduerſ. dot.* Sed hoc ne quis obiter dictum exiſtimet, audiamus VLPIANVM, qui l. 3. §. 5. D. de *Minor.* etiam FILIAMFAMILIAS in dote CAPTAM, quamuis PATER eius, aduerſus quem non datur reſtitutio, de dote ſtipulatus ſit, ſi illud aequum uideatur, RESTITVENDAM eſſe ait, cum in illa perturbatione animorum, nuptias utrinque anhelantium et ſpe felicitatem futuri temporis praecipientium, facile ingenium muliebre ſublabi poſſe uideatur

Digitized by Google

IIII.

MARITVS DOMINIVM BONORVM DOTALIVM ADQVIRIT QVIDEM SED ONERA DOTIS, BONORVM OMNIVM FERRE COGITVR.

DE AERE ALIENO ANTEA CONTRACTO NON TENETVR

COMPROBAVIMVS, OMNIA VXORIS BONA, nuptiarum cauſſa, efficaciter quandoque transferri in maritum, et frugi eſſe uxores, quae nihil ſibi retinent, aut magnopere appetunt, quod a rationibus mariti ſeparatum eſſe uideatur, Vnum quandoque obſtabit marito appetentiori, quod ſuſpecta ſit interdum illa liberalitas et BONORVM OMNIVM translatio in muliebri ingenio, adeoque audienda ſit FOEMINA, quae ſe circumuentam et circumſcriptam dixerit in illa pactione

Sed neque MARITVS ſemper habet, quod gaudeat de DOTE OMNIVM BONORVM ab uxore ſibi conſtituta. Scimus enim, etiam ONERA referri ad maritum. Nam PAVLLVS quidem, in l. 72. D. de *Iure Dotium*, a nobis propoſita, SI MVLIER BONA ONNIA IN DOTEM DEDERIT, cum dubitatione quadam ſciſcitatur et quaerit, QVIS ONERIBVS RESPONDERE TENEATVR? Quod ut expediamus, operae pretium fuerit, ante definire, QVID IVRIS MARITVS IN DOTE HABEAT, et quo iure haec in ipſum transferatur

Et, primo quidem, uulgo notum eſt, indiuidua re-

rum

rum FVNGIBILIVM uxoris, inprimis PECVNIAM, IRREVOCABILITER ad maritum peruenire, quamuis ſoluto matrimonio, poſt annum, iure communi, TANTVNDEM reddere cogatur. Enucleate GAIVS l. 42. D. de *Iure Dotium.* Res, quae numero pondere et menſura aeſtimentur, in DOTEM datas, mariti, ait, eſſe periculo, quia IN HOC DATAE SINT, VT EAS MARITVS AD ARBITRIVM SVVM DISTRAHAT, et ſoluto quandoque matrimonio alias eiusdem generis et quantitatis reſtituat uxori. Sed meretur obſeruari, etiam ſi NVMMOS ALIENOS IN DOTEM dederit mulier, poſtquam hi cum mariti nummis PERMIXTI ſunt, ut DISCERNI NON POSSINT, illorum dominium ad maritum plenó iure pertinere: et ſi diſtracti ſint, nec dominum, nec uxorem, ne quidem TACITAE HYPOTHECAE PRIVILEGIO, indiuidua nummorum perſequi poſſe, aut illa repetere a tertio poſſeſſore, cui a marito exſoluti ſint, ſed ſoluto matrimonio tantundem recuperaturam a marito. Ita enim IAVOLENVS tradit, l. 78. D. de *Solut*

In his igitur rebus, expeditum eſt, nihil iuris, praeter repetitionem eiusdem generis et quantitatis, uxorem retinere: ideoque parum abeſt, quin ONERA uxoris ad maritum, propter dotem rerum FVNGIBILIVM, quas iure pleniſſimo adquirit, non pertinere uideantur

Sed ita quidem de dote RERVM FVNGIBILIVM habendum eſt. In ſpeciebus et rebus IMMOBILIBVS

C 3 inpri-

inprimis paullo adſtrictior mariti eſt poteſtas, niſi AESTIMATAS et certo pretio definitas, uenditionis cauſſa, uxor dederit marito

PAPINIANVS enim docet, res AESTIMATAS, marito traditas et in dotem datas, quamuis illas in uſu habeat mulier, iure dominii confeſtim peruenire ad maritum, l. 69 §. 8. D. de *Iure dotium*, quod et VLPIANVS l. 7. §. 3. et l. 9. §. 1. D, *eod.* comprobauit. Contra, ſi NON AESTIMATAS ſponſa dederit, FVNDVS DOTALIS quidem IN BONIS EST MARITI, ſed DOMINIVM VXORIS quod ait TRYPHONINVS l. 75. D. *de Iure dotium.* Imo uero explicatius IVSTINIANVS l. 30. C. *eod.* LEGVM duntaxat SVBTILITATE fingi, ait, quod haec talia ad MARITVM tranſire uideantur, ſed, ſi rei VERITATEM cogitemus, NATVRALITER illa in VXORIS DOMINIO manere, et ſoluto matrimonio ab ipſa VINDICARI POSSE. Ex hac cauſſa fere SABINVS docuit, dotem MVLIERI ADQVIRI, l. 33. ſ. D. de *Iure dotium*, et VLPIANVS, res INAESTIMATAS meliores et deteriores fieri mulieris lucro, et periculo, l. 10. pr. D. *eod.* et alio loco, dotem, ſoluto matrimonio, QVASI PROPRIVM VXORIS PATRIMONIVM uideri. l. 16. D. *de Relig. et ſumt. fun*

Quae cum ita ſint, QVO IVRE ONERA de quibus PAVLLVS in lege noſtra 72. D. *de Iure dotium*, tantiſper dubitauit, marito imponemus?

Siue enim QVANTITATES acceperit, ſiue etiam SPECI-

Digitized by Google

SPECIES, ſed AESTIMATAS, DOMINIVM illarum IRREVOCABILITER, adeoque titulo fere ſingulari, adquiſiuit: ſiue corpora quaedam NON AESTIMATA ipſi data fuerint, res NATVRALITER manſerunt in DOMINIO VXORIS. Verum enim uero, quid cauſſae cogitari poteſt, cur propter res SVAS, quas dotis titulo plene adquiſiuit, ſuſcipiat ONERA VXORIS: aut, cur propter res dotales NON AESTIMATAS, quae uere IN DOMINIO uxoris permanent, ipſe ONERIBVS reſpondeat, quae ad uxoris incommoda uidentur pertinere?

Nimirum, ut dicamus, quod res eſt, diſtinguenda ſunt ONERA VXORIS, quae marito imponuntur. ONERA enim intelligimus, quae ex NECESSITATE IVRIS praeſtanda ſunt, inprimis AES ALIENVM a muliere contractum: et de his quidem etiam PAVLLVM in lege noſtra, quam tractamus, ſenſiſſe, ex ipſo reſponſo eius intelligitur, in quo AERIS ALIENI fecit mentionem, d. l. 72. *in fine.* D. *de Iure dotium*

Sed AES illud ALIENVM, et omnia debita, quae NECESSARIO praeſtantur, uel ANTE MATRIMONIVM a muliere contracta ſunt, uel POSTEA enaſcuntur, poſtquam uxor, ſecutis nuptiis, res dotales TRADIDIT marito. Et prius quidem de illis uideamus, quae ANTE MATRIMONIVM CONTRACTA SVNT. De his autem expeditum eſt, MARITVM, propter acceptas res dotales, NON TENERI. QVANTITATES enim, ut dicere occupauimus, et RES AESTIMATAE, TITVLO fere

SIN-

Digitized by Google

SINGVLARI et PLENO IVRE adquiſiuit : NON AESTIMATAE naturaliter in dominio uxoris permanent, et, ſoluto matrimonio, ad ipſam reuertuntur

Igitur, QVAECVNQVE tandem RES IN DOTEM DATAE fuerint, GENERALITER uerum eſt, quod PAVLLVS ait, MARITVM, QVASI HEREDEM, a creditoribus uxoris NON POSSE CONVENIRI. l. 72. pr. D. *de Iure dotium*

Itaque dicemus, de AERE ALIENO ANTE MATRIMONIVM contracto maritum non teneri. Luculenter enim GAIVS noſter praecipit, ne illa quidem debita, propter quae fundus dotalis HYPOTHECA oneratus eſt, a marito exſoluenda eſſe, ſed neque ipſum, nec heredem eius, compelli poſſe, ut fundum dotalem liberet. l. 15. D. de *Iure dotium*

Cetera uero, quae IN IPSO MATRIMONIO naſcuntur, et opem PRAESENTEM poſtulant, a marito non ſolum VXORIS, ſed etiam SVI CAVSSA, ut uxor ipſi ſit integrior ornatiorque, impenduntur. Imo uero ſentiet, quod P. TERENTIVS ait, a)

QVANTVM DEVENERIT AD IPSVM MALI

Non dicam de uxoris FVNERATIONE, de qua, ſi PAPINIANVM audiamus, uir ſolus conuenitur, ut

DE

a) Terent. Heautont. Act. IV. ſc. V. u. 8

DE DOTE praeſtet ſumptus funeris, illosque deinde imputet mulieris heredi, ad quem dos deinceps reuertetur. l. 17. D. de *Religioſ. et ſumpt. fun*

Praeterea impenſas, quas ipſae res dotales illarumque REFECTIO NECESSITATE quadam poſtulant, interim erogat maritus: ſed per illas etiam ipſam dotis ſubſtantiam MINVIT, ut, cum dos repetitur, ſi impenſae pretium fundi ſuperent, FVNDVS omnino DESINAT DOTALIS ESSE: quod SCAEVOLA et PAVLLVS, obſeruarunt. l. 56. §. 3. D. de *Iure Dotium*

V

DOTIS TITVLVS
NON VNIVERSALIS, SED SINGVLARIS EST.
MARITVS FVNDVM DOTALEM AESTIMATVM
POTEST MINORI PRETIO EMERE.
DOS OMNIVM BONORVM EST VNIVERSITAS.
MARITVS TAMEN, QVI ILLAM ACCIPIT
NON EST HERES VXORIS VIVAE
NEC A CREDITORIBVS EIVS CONVENIRI POTEST

MARITVS igitur uxoris ONERIBVS reſpondet, quae PRAESENS NECESSITAS deſiderat, et in fundum dotalem omnia IMPENDIT, quae ſi non praeſtarentur, res peritura aut deterior futura eſſet: quod PAVLLVS docet. l. 79. §. 1. D. *de Verb. Signif.* Sed his quidem poſtremis, ut ſupra obſeruatum eſt, ipſa

 dotis

Digitized by Google

dotis ſubſtantia non ſolum MINVITVR, ſed aliquando etiam conſumitur. l. 56. §. 3. D. *de Iure dot*

Quanquam uero dotes, uti diximus, IPSO IVRE NECESSARIIS impenſis MINVVNTVR, quod in VNIVERSITATIBVS RERVM ſemper uſu uenit; noli tamen exiſtimare, quod DOS ipſa, ad MARITVM TITVLO VNIVERSALI tranſeat, quaſi pro illa PARTE QVOTA, quae dotis ſubſtantia et aeſtimatione continetur, HERES VXORIS SVAE factus eſſe uideatur

Neque enim maritus, quamuis ex toto patrimonio centum ſeſtertium, quod uxor poſſidet, uiginti quinque acceperit, uxori EX QVADRANTE HERES factus eſſe cenſebitur, neque a creditoribus mulieris, tanquam HERES ex QVADRANTE, efficaciter conuenietur

Non ignoro, a quibusdam ſerio id actum eſſe, ut oſtenderent, DOTEM, quae ſit QVASI ſeparatum PATRIMONIVM uxoris, quo non ſolum commoda et IVRA ſed etiam ONERA contineantur, PER VNIVERSITATEM ad maritum peruenire. Videntur enim decepti eſſe uerbis PAVLI, qui l. 1. §. 2. D. *de Fundo dotali*, et l. 62. D. de *Acquir. rer. Dom.* fundum dotalem aliquando PER VNIVERSITATEM tranſire, docuit: ideoque arbitrantur aeſtimandum eſſe, QVOTA pars patrimonii uxorii rebus in dotem datis, et fundo dotali maxime, contineatur, ut pro illa parte ONERIBVS uxoris reſpondere, AESQVE ALIENVM, ab ipſa ante nupti-

nuptias contractum, durante matrimonio, maritus exſoluere cogatur

Verum enim uero, pignore certarem, nunquam PAVLLO in mentem ueniſſe, quod fundus dotalis ſemper PER VNIVERSITATEM ad maritum transferatur. PAVLLVS, in illis legibus, quas modo attigimus, non tractauit, quo iure MARITVS fundum dotalem ACQVIRAT ab uxore; ſed hoc duntaxat diſputat, an ALIENARE aut transferre poſſit res uxorias maritus. Et hoc quidem negat, ex communi omnium opinione. Vnum tamen monet, aliquando euenire, ut fundus dotalis, quem maritus TITVLO SINGVLARI adquiſiuerat, ſi ipſe moriatur, per VNIVERSITATEM, ad HEREDEM eius, (qui TITVLO VNIVERSALI ſucceſſerit marito) tranſeat, ſed cum ſuo tamen iure, ut alienari non poſſit ab herede. Hanc mentem PAVLLI eſſe, ex ipſis uerbis luculentis legis l. §. 2. D. de *Fundo dotali*, et l. 62. *de Acquir. rer. dom.* intelligitur

Igitur ad maritum quidem FVNDVS DOTALIS non tranſit per VNIVERSITATEM, ſed ad heredem eius, inter reliquas res hereditarias, VNIVERSALI TITVLO, transfertur, donec ab uxore repetatur

Et qui poſſit defendi, maritum ab uxore dotem VNIVERSALI TITVLO accipere, id eſt, cum NECESSITATE SOLVENDI AERIS ALIENI quod antea contractum ſit, cum ne quidem HYPOTHECA fundum dotalem liberare teneatur. l. 15. D. de *Dote praeleg.* quod ſu-

Digitized by Google

pra ex reſponſo GAII a nobis comprobatum eſt. Imo uero in dote AESTIMATA inprimis, certum eſt, VENDITIONE quadam dominium adquirere maritum. Quamuis enim MINORIS ab uxore emerit, ſi non DONANDI animo hoc factum ſit, etiam conſtante matrimonio, ſecundum POMPONIVM, uenditio ſubſiſtit, l. 31. §. 3. D. de *Donat. inter uir. et uxor.* Sed nemo dubitat, quae VENDVNTVR, ad emptorem TITVLO SINGVLARI peruenire

Quae cum ita ſint, neminem VLPIANVS perturbabit, qui l. 1. §. 4. D. de *Dote praeleg.* dotem, ait, impenſis neceſſariis ipſo iure minui: ſed hoc non ad SINGVLA corpora, ſed AD VNIVERSITATEM, referendum eſſe. Enimuero poſſet dubitari, utrum VLPIANVS, qui DOTEM, tanquam VNIVERSITATEM, corporibus SINGVLIS oppoſuerit, de titulo VNIVERSALI, quo DOS ad maritum perueniat, cogitaſſe uideatur. Sed primo obſeruandum eſt, Vlpianum non de illis dotibus, cum res SINGVLARIS, ut fundus, aut ſpecies quaedam, nuptiarum cauſſa affertur ad maritum, ſed de his duntaxat, cum res plures, aut etiam corpora INTEGRA, QVAE CONSTANT EX DIVERSIS CAPITIBVS, in dotem dantur, tractauiſſe. Deinde, ſi etiam VNIVERSITATES quaedam, ut greges, aut merces in taberna, marito, dotis cauſſa, tradantur ad uxore, non omnis VNIVERSITAS VNIVERSALI TITVLO transfertur cum neceſſitate SOLVENDI AERIS ALIENI, quod alius contraxit. Videmus quotidie a priuatis gre-

greges, aut merces in taberna, aut alias quascunque VNIVERSITATES VENDI per AVERSIONEM, neque tamen emptorem onerari AERE alieno, quo uenditor ſit obligatus, ſed uniuerſitatem TITVLO SINGVLARI tranſire ad emptorem.

Specioſius paullo et veriſimilius fingi poſſet VNIVERSALIS quidam TITVLVS, ſi TOTA quaedam SPECIES BONORVM, ut OMNES RES MOBILES, aut omnia etiam BONA, marito IN DOTEM dentur ab uxore. De BONORVM enim APPELLATIONE AFRICANVS docet, illam, ſicut HEREDITATEM, non res SINGVLAS, ſed VNIVERSITATEM quandam et IVS SVCCESSIONIS demonſtrare. l. 208. D. *de Verb. ſignif.* ad quem locum diuinus ille ALCIATVS a) copioſe commentatur.

Verum enim uero, ne BONA quidem, quamuis VNIVERSITATEM notent, ſemper titulo VNIVERSALI transferuntur, aut ius ſucceſſionis comprehendunt, quamuis appellatione BONORVM, in materia SVCCESSIONVM, de qua AFRICANVS Libro IIII *Quaeſtionum*, unde l. 208. D. de *Verb. ſignif.* deſumpta eſt, inprimis tractauit, frequentiſſime utamur. Nimirum, ut alia taceam, multum intereſt, utrum PARS BONORVM, an pars HEREDITATIS, relinquatur. Ad hanc omnia augmenta, quae etiam poſtea acceſſerunt, pertinere expeditum eſt, ſed BONA, poſtquam dies ceſſit, non faci-

a) Alciat. ad l. 208. D. de *Verb. Sign.* Op. T. II. p. 1080.

le capiunt augmentum: quod idem ALCIATVS a) obſeruat

Imo uero, quomodocunque haec exiſtimata fuerint, non in magno diſcrimine ponemus. Illud certum eſt, NON POSSE MARITVM A CREDITORIBVS VXORIS CONVENIRI. Neque enim ipſe creditoribus uel ex DELICTO uel ex CONTRACTV obligatur, quamuis BONA OMNIA uxoris acceperit in dotem. Neque in ipſum QVASI IN HEREDEM dabitur actio, quum VIVENTIS VXORIS NVLLA HEREDITAS intelligatur. Luculenter PAVLLVS noſter negat, maritum, ſi mulier BONA OMNIA in dotem dederit, AB EIVS CREDITORIBVS CONVENIRI POSSE, neque ipſum teneri ONERIBVS VXORIS VIVAE RESPONDERE, QVASI, per DOTEM BONORVM omnium, uxoris ſuae, adhuc ſuperſtitis, heres factus eſſe uideretur, l. 72. pr. D. de *Iure dotium.* Neque minus aperte DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS l. 27. C. de *Iure dotium*, praecipiunt, etiamſi dos apud maritum, ſoluto matrimonio ex pacto, remanſerit, tamen maritum non recte conueniri, VT HEREDEM

VI

a) Alciat. loc. cit

VI

DOS OMNIVM BONORVM
QVANDO AB VXORE OBAERATA
IN FRAVDEM CREDITORVM
CONSTITVTA VIDEATVR.
DOS OMNIVM BONORVM NON EST
DONATIO.
(MARITVS VOLENS POTEST
EX DOTE OMNIVM BONORVM
AES ALIENVM VXORIS VIVAE
SOLVERE.)

Ex his, quae adhuc diſputata ſunt, apparet, ne ex OMNIVM quidem BONORVM DOTE MARITVM, ad AES ALIENVM VXORIS VIVAE EXSOLVENDVM, conueniri poſſe. Sed una obſtat difficultas, ne actione PAVLIANA teneatur, ſi uxor OBAERATA, IN FRAVDEM CREDITORVM, BONA OMNIA marito in dotem dediſſe uideatur. Enimuero, explicate IVLIANVS l. 17. §. 1. D. *quae in fraud. credit.* quamuis non proponatur debitor CONSILIVM FRAVDANDI CREDITORES HABVISSE, tamen, ait, ſi VNIVERSA BONA SVA ALIENAVERIT, cum SCIVERIT, ſe habere creditores, intelligendum eſſe, FRAVDANDORVM CREDITO-

RVM

RVM CONSILIVM omnino HABVISSE : ideoque, illum, qui BONA VNIVERSA acceperit, quamuis IGNORAVERIT hanc mentem debitoris, nihiloſecius PAVLLIANA actione creditoribus teneri. Imo uero VLPIANVS l. 1. §. 2. D. *quae in fraud. credit.* OMNEM omnino CONTRACTVM, et OMNEM ALIENATIONEM, quae FRAVDANDORVM creditorum cauſſa fiat, edicto Praetoris, ait, contineri. Et luculentius idem VLPIANVS, alio loco, DOTEM ab uxore, IN FRAVDEM CREDITORVM CONSTITVI NON POSSE, docet, ideoque ex Edicto fraudatorio actionem dari, ad dotem repetendam l. 10. §. 14. D. *quae in fraud. credit.* Vt taceam, quae DONANDI ANIMO in quemquam transferuntur, ſi bona creditoribus non ſufficiant, etiam AB IGNORANTE uindicari poſſe, ut LVCRVM, quod ad ipſum, cum DAMNO creditorum, perueniſſe uideatur. l. 6. §. 11. D. *quae in fraud. credit.* Sed conſtat, DOTIS CONSTITVTIONEM ſubinde cum DONATIONIBVS conferri. l. 20. C. *de Donat. propt. nupt*

Sed ſalua res eſt marito innocenti, qui DOTEM OMNIVM BONORVM accepit ab uxore. Nimirum titulo ONEROSO, id eſt, ad ſuſtinenda ONERA matrimonii, dos omnium bonorum cenſetur adquiſita a marito: et hactenus nihil commune habet cum DONATIONE. Hoc enim et IVSTINIANVS uidetur agnouiſſe, *Nou.* CXIX. c. 1

Sed in his negotiis, quae cum ONERE coniuncta ſunt, diligenter tradit VLPIANVS, quamuis ille, qui de-

dederit, animum FRAVDANDI habuiſſe uideatur, ACCIPIENTEM tamen, ſi FRAVDEM IGNORAVERIT, edicto non teneri. l. 6. §, 8. et l. 10. §. 2. et 4. D. *quae in fraud. credit.* Sed omnium curatiſſime VENVLEIVS l. 25. §. 1. D. *quae in fraud. credit.* a marito, FRAVDEM IGNORANTE, dotem, quae conſilio FRAVDANDI CREDITORES ipſi data fuerit, NON POSSE REVOCARI, praecipit, cum alias maritus mulierem INDOTATAM et AERE ALIENO obligatam non ducturus fuiſſe uideatur

Imo uero, ſecundum VLPIANVM, FRAVS NON PRAESVMITVR in dote conſtituta. Luculenter enim ille, ſi libertus FILIAM DOTAVERIT, hoc ipſo, quod DOTAVIT, non uideri, ait, patronum FRAVDAVISSE: Quum PIETAS patris, (et uxoris) non reprehendenda uideatur l. 1. §. 10. D. *ſi quid in fraud. Patron*

Quid, quod ne LITIGIOSA quidem, ſi DOTIS cauſſa data ſint marito, propter magnum fauorem dotium, tanquam litigioſa reuocentur: quod IMPERATOR tradit l. 4. §. 1, C. de *Litig.* ut appareat omnia alia in DOTIBVS, quam FRAVDANDI CONSILIVM, PRAESVMI. Igitur mariti etiam creditores ne illa quidem, quae IN SPONSAM donationis gratia collata ſunt, PAVLLIANA actione reuocabunt, cum mutua et reciproca illorum pietas intelligatur, qui de nuptiis futuris conuenerunt. l. 13. C. *de Donat. propter nupt*

Sed FISCO tamen, ex DEBITO ANTE NVPTIAS CONTRACTO, iure pignoris dari REVOCATIONEM rerum,

 quas

quas uxor IN DOTEM dedit, GORDIANVS docet, quamuis IGNORAVERIT maritus, uxoris obligationem. l. 6. C. de *Iure fiſci.* Idem etiam DIOCLETIANO in ſpecie non diſſimili placuit, ut CAVSSA PRIMIPILI et utilitas publica cauſſae DOTIS praeferatur. l. 3. et 4. C. de *Primipil*

Extra has ſpecies, quas proxime commemoraui, fruſtra creditores, ius reale non habentes, DOTEM a MARITO IGNORANTE reuocabunt. l. 2. C. de *reuocand. bis quae in fraud. credit*

Vnum attinet monere, VOLENTEM maritum non prohiberi, quo minus, AERIS ALIENI EXSOLVENDI cauſſa, dotem RESTITVAT uxori: Quod PAVLLVS et VLPIANVS tradiderunt. l. 21. et l. 22. D. *Solut. matrim*

Neque enim DONASSE uxori uidebitur maritus, qui illam maluit, honeſtatis cauſſa, aere alieno liberari. Sed obſeruat tamen IVLIANVS, in fraudem reliquorum creditorum, tempore minus opportuno, dotem efficaciter non reddi poſſe uxori a marito. l. 17. §. 2. D. *quae in fraud. credit*

VII

Digitized by Google

VII

BONA OMNIA IN DOTEM DATA
NON INTELLIGVNTVR
NISI DEDVCTO AERE ALIENO.
MARITVS QVIDEM A CREDITORIBVS
VXORIS CONVENIRI NON POTEST,
SED AB IPSA VXORE, VT SOLVAT
AES ALIENVM ANTEA CONTRACTVM.
EXECVTIO ETIAM CONTRA IPSVM
RECTE DECERNITVR

SATIS, credo, diſputauimus, maritum, niſi SCIENS, IN FRAVDEM CREDITORVM, ab uxore OBAERATA dotem acceperit, a creditoribus uxoris efficaciter non conueniri

Sed et illud tamen non diſſimulandum eſt, ſecundum PAVLLVM atque IAVOLENVM l. 39. §. 1. et l. 83. D. *de Verb. ſignif.* l. 2. D. *de Collat. Bon.* BONA OMNIA nihil continere, niſi, QVOD SVPERSIT, DEDVCTO AERE ALIENO

Quid ergo faciemus de marito, cui uxor OBAERATA tradiderit DOTEM OMNIVM BONORVM, quae niſi deducto AERE ALIENO NON intelligetur?

Subobſcure quidem PAVLLVS noſter in lege propoſita LXXII. D. de *Iure Dotium*, maritum, quaſi HEREDEM,

a creditoribus uxoris NON POSSE CONVENIRI, ſed NON PLVS tamen eſſe in promiſſione dotis BONORVM OMNIVM, QVAM QVOD SVPERSIT, DEDVCTO AERE ALIENO

Sed res diſputatione non indiget, ſi dos OMNIVM BONORVM PROMISSA ſit quidem, ſed NONDVM TRADITA et NVMERATA, uxorem deducere AES ALIENVM poſſe, et creditoribus ſuis exſoluere: quod reliquum fuerit, duntaxat bonorum appellatione contineri

Sed, quomodo conſulemus creditoribus uxoris, poſtquam TRANSLATA eſt dos omnium bonorum ad maritum, quem ipſi conuenire non poſſunt?

Nimirum res ipſa oſtendit, VXOREM duntaxat, quamuis PAVPEREM, et, rebus omnibus translatis, ad egeſtatem propemodum redactam, NON AVTEM MARITVM, a creditoribus uxoris recte conueniri. Sed uxor, CVM BONAE FIDEI EXCEPTIO IPSO IVRE INSIT IVDICIO DE DOTIBVS, quod ſupra ex l. 21. D. *Soluto matrimonio*, probatum eſt, uxor, inquam, beneficio reſtitutionis in integrum, a marito ex BONIS OMNIBVS tantum REPETERE poterit, quantum ad neceſſitatem aeris alieni exſoluendi pertinebit. l. 9. §. 1. D. *de Minor.* l. 6. §. 2. D. *de Iure dotium.* Imo uero creditores, ſi uxorem conuenerint de debito, et uicerint inſtituta actione, QVASI EX IVRE CESSO uxoris, eiusque uoluntate, MISSIONEM IN BONA VXORIS, quae ad maritum, DOTIS nomine, translata ſunt, a Praetore impetrabunt

VIII

VIII

DOS OMNIVM BONORVM
INOFFICIOSA
A LIBERIS VXORIS REVOCATVR.
EX RE SINGVLARI
QVAE MARITO CVM DOTE OMNIVM BONORVM
VENDITA EST
AES ALIENVM VXORIS NON EXSOLVITVR.
VXOR, QVAE FRAVDVLENTER
DOTEM OBAERATAM MARITO DEDIT
ACTIONE IN FACTVM TENETVR

SED his quidem remediis CREDITORES ſuum conſequentur ab uxore, quae BONA OMNIA in dotem dederit marito. Expeditius remedium LIBERIS PRIORIS PATRIMONII ſuppeit, in quorum FRAVDEM uxor BONA OMNIA in maritum uidebitur tranſtuliſſe. CONSTANTIVS enim l. un. C. de *Inofficioſ. Dotibus*, praecepit, cum OMNIA BONA a matre IN DOTEM exhauſta ſint, liberis, AD EXEMPLVM INOFFICIOSI TESTAMENTI, aduerſus DOTEM IMMODICAM, exercendae actionis copiam omnino tribuendam eſſe

Ideoque non dubito, ne SPVRIOS quidem, ſecundum VLPIANVM, excludi a DOTE INOFFICIOSA impugnanda, l. 29. §. 1. D. de *Inoff. teſtam.* Imo uero LIBERI, etiam POST DOTEM CONSTITVTAM NATI, habebunt,

 cur

Digitized by Google

cur de LEGITIMA BONORVM PARTE, ſibi per dotem OMNIVM BONORVM interuerſa, conquerantur. *arg.* l. 8. C. de *Reuocand. donat*

Ita quidem LIBERIS uxoris ſatisfiet. Ceterum, ſi maritus, PRAETER DOTEM BONORVM RELIQVORVM, TITVLO SINGVLARI ONEROSO, cum incommodis et ONERIBVS quibusdam, ut VENDITIONE uel permutatione, fundum aut ſpeciem quandam ab uxore acceperit, certum eſt, hunc fundum et hanc ſpeciem PLENISSIMO IVRE TRANSIRE AD MARITVM

Igitur faciamus, uxorem AEDES ſuas ſponſo cum onere inſigni VENDIDISSE, ſed pactum adieciſſe, ut RELIQVA BONA OMNIA, dotis nomine, ad ipſum peruenirent. Expeditum eſt, uxoris creditores non poſſe a marito exigere, ut ex aedium aeſtimatione ipſis ſatisfiat. Sed aedes titulo ſingulari adquiſitas ſibi habebit, PROPTER ONERA, maritus: ex his autem, quae ſuperfuerint, aes alienum creditoribus exſoluet. Enimuero, quod ſupra indicauimus, generaliter maritis permittitur, etiam VILIORI PRETIO, ab uxoribus bona fide EMERE, quae ad ipſarum parrimonium pertinent, dummodo ſuſpicio DONATIONIS diluatur. l. 31. §. 3. D. de *Donat. int. uir. et uxor.* Sed nulla DONATIONIS eſt ſuſpicio, cum de ONERIBVS matrimonii et de dotibus conſtituendis contrahitur inter uirum et uxorem

Extremo, non omittendum eſt, propter ſanctitatem BONAE FIDEI, qua DOTIS CAVSSA regitur, ſi DO-

Digitized by Google

DOLOSE uxor REM AERE ALIENO ONERATAM in dotem dederit marito, ACTIONEM IN FACTVM aduerſus perfidam uxorem competere marito. Ita SEVERVS et ANTONINVS docuerunt. l. 1. C. *de Iure dotium.* Sed LABEO hanc actionem temperauit, ne uel VXOR, uel etiam SOCER, ſi dote non idonea promiſſa induxerint et deceperint generum, aut maritum, niſi IN QVANTVM FACERE POSSINT, id eſt, quod noſtri aiunt, SALVO IVRE COMPETENTIAE, omnino condemnentur. l. 84. D. *de Iure dotium*

VIIII

SPECIES SINGVLARIS PROPONITVR

SED, ut intelligatur, ne in noſtris quidem foris maritum, propter dotem BONORVM OMNIVM acceptam, a creditoribus uxoris uiuae conueniri poſſe, adiiciam ſpeciem ſingularem, quam cum iudicarent SCABINI VITEMBERGENSES, Menſe Iunio, anni praeteriti, in illam ſententiam, quae adhuc a nobis diſputata eſt, reſponderunt. Proponebatur, Gellium duxiſſe uxorem Criſpillam, cum qua ipſi peſſime conueniebat. Ita enim animi coniugum iris et indignatione accenſi erant, ut iudex eccleſiaſticus cauſſam inuenerit, cur illos A THORO ET MENSA, quod aiunt, SEPARARET. Sed antequam nuptiae contraherentur, magnis, ut fieri ſolet, ſtudiis alter de altero mereri, et mutuis officiis amores mutuos accendere laborauerant. Primum

SPON

Digitized by Google

SPONSA SPONSO AEDES, quas poſſidebat, adhibito alio curatore, CORAM IVDICE REI SITAE, certo pretio conſtituto, VENDIDERAT, ſed cum onere AERIS ALIENI, quo fundus obligatus erat, EXSOLVENDI. OMNES ENIM CREDITORES SVOS SE IPSI INDICARE SIMVLAVERAT, quibus ſe ſatisfacturum promiſerat Gellius ille, ſponſus. Magiſtratus etiam dominium aedium ſolenni inueſtitura, petente Criſpilla, in Gellium tranſtulerat. ADIECERANT huic uenditioni PACTVM, ut, quandoquidem de nuptiis inter Criſpillam et Gellium conueniſſet, OMNIA Criſpillae RELIQVA BONA, praeter aedes ipſi uenditas, ad ſponſum DOTIS nomine omnino peruenirent. Vtrique etiam de SVCCESSIONE MVTVA ſeu RECIPROCA, ſi absque liberis morerentur, fidem dederant. Sed, ut dicere occupaui, non diuturna inter illos gratia fuerat. Poſt ſeparationem a thoro et menſa Gellius Criſpillae utenſilia, et cetera, quae ad uſum uitae neceſſaria uidebantur, praeſtare coactus erat ab eccleſiaſtico magiſtratu. Tandem expergiſcebatur Iauolenus, quem inter creditores ſuos, cum dotem omnium bonorum conſtitueret, non nominauerat Criſpilla. Hic quidem, Criſpillam ſibi aere alieno obſtrictam eſſe, contendebat, et, ſolutionis impetrandae cauſſa, aduerſus Gellium, Criſpillae maritum, proceſſu EXECVTIVO ex Criſpillae chirographo experiebatur. Gellius negabat, ſe a Creditoribus uxoris, de aere alieno uxoris uiuae ante nuptias contracto, conueniri poſſe. Ideoque repellebatur Iauolenus ab actione contra Gellium maritum inſtituta. Et recte quidem

dem, mea ſententia, cum auctoritas PAVLLI defenderet maritum, l. 72 D. de *Iure Dotium*

Iauolenus,cum aliud conſilium non ſuppeteret,Criſpillam ipſam,quamuis,ob bona omnia ad maritum allata,pauperem et rerum omnium egentem,conueniebat. Illa debitum agnoſcebat, ſed bona ſua apud maritum eſſe indicabat. Quid igitur faceret Iauolenus a marito iam repulſus? IMPLORABAT OFFICIVM IVDICIS, ut MISSIO IN BONA, id eſt EXECVTIO in bona a Criſpilla in Gellium dotis nomine translata, inprimis in aedes Gellii, absque ambagibus decerneretur, maxime, cum DOS omnium bonorum IN FRAVDEM CREDITORVM conſtituta uideretur. Iudex, quantum memini, audiendum eſſe antea omnia Gellium cenſebat. Gellius in ius uocatus, aedes ſe EMISSE, et TITVLO SINGVLARI ONEROSO adquiſiuiſſe, Iauoleno opponebat, praeterea negabat, ſe in FRAVDEM CREDITORVM dotem OMNIVM BONORVM a Criſpilla accepiſſe. ICti Lipſienſes actori PROBATIONEM iniungebant. NON APPAREBAT, Gellium SCIVISSE CONSILIVM FRAVDIS a Criſpilla commiſſae, quae ipſi reliquos creditores indicauerat, diſſimulato Iauoleno. Igitur SCABINI VITEMBERGENSES, ut dixi, iudicauerunt, nihil de FRAVDE probatum eſſe, actione PAVLLIANA aedes,ex illis rationibus, quae ſupra §pho V. et VII adductae ſunt, reuocari non poſſe a marito: cum illarum dominium, titulo ſingulari et oneroſo, ab uxore obaerata ad ipſum FRAVDIS IGNARVM ſit translatum. Sed ex reliquis BONIS, quae NISI DEDVCTO AERE

F ALIE-

ALIENO NON INTELLIGVNTVR, inprimis propter BONAM FIDEM, ANIMAM illam iudicii DE RE VXORIA, de qua §pho I. II. III. et IIII. expoſuimus, uiſum eſt, Iauoleno ſatisfieri debere, et miſſionem in reliqua bona, quae a Criſpilla ad ipſum peruenerant, deductis antea IMPENSIS, quae dotem ipſo iure MINVVNT et §pho IV. a nobis explicatae ſunt, decernendam eſſe

Adiiciam ipſam formulam reſponſi:

Daraus ſoviel zu befinden, daß Beklagtens Principal zuförderſt dasjenige, ſo ſein Ehe-Weib, Anna Maria H. an Baarſchafft, Mobilien, pretioſis, auch auſſenſtehenden Schulden und andern Sachen, auſſer dem ihm eigenthümlich überlaſſenen Hauſe, und denen Stücken, ſo er bereits ausgeantwortet, ihm würcklich zugebracht, oder in ſeinen Nutzen verwendet, vermittelſt Eydes zu ſpecificiren, und daferne ſodann von ihrem Vermögen, nach Abzug desjenigen, ſo er bey Einlöſung eines oder des andern Stücks entrichten müſſen, und er ebenfalls eydlich anzuzeigen hat, noch etwas übrig bleibet, des beſchehenen Einwendens ungeachtet, das libellirte Capital derer 250. Thlr. nebſt denen libellirten Zinſen, ſo viel er daran durch richtige Quittungen zu vermindern nicht vermag, von ſolchem Uberreſte, in ſo weit dieſer hierzu hinlänglich, Iauoleno zu bezahlen ſchuldig, dahingegen der letztere im übrigen dasjenige, ſo ihm zu erweiſen auferleget, und er ſich angemaſſet, wie Recht nicht erwieſen, derowegen Beklagter in ſo weit von der erhobnen Klage zu entbinden, die beyderſeits aufgewendeten Unkoſten aber ſind gegen einander zu compenſiren und aufzuheben. V. R. W.

Res

Res erit luculentior ex rationibus adiectis

Obwohl eines Theils Kläger, daß Beklagter ſeines Ehe-Weibes ſämmtliches Vermögen, mithin auch das libellirte Hauß, titulo lucrativo an ſich bracht, demnach auch ſeines Ehe-Weibes vor der mit ihr getroffenen Ehe gemachten paſſiv Schulden, zumahl da dieſelbe dieſe letztern, nach Klägers eignem Geſtändniß, gefährlicher Weiſe verſchwiegen, ſchlechterdings bezahlen müſſe, vorwendet, andern Theils Beklagter den über den 83. 84. und 85ſten Beweiß-Articul ihm deferiten Eyd fol. 177. Vol. No. 1. geſchworen, und dadurch daß Er von denen in ſolchen Articuln ſpecificirten Sachen, einigen Genuß nicht gehabt, bereits erhalten, dahero, daß derſelbe mit dem ihm zuerkanten Eyde zu verſchonen, es das Anſehen gewinnet,

D. a. d. aus der fol. 23. ſeqq. Vol. III. befindlichen Ehe-Stifftung und deren Erläuterung, daß Beklagter ſeiner Ehe-Frau, gegen das ihm von derſelben zugeſchlagene Vermögen, alles das ſeinige auf den Todes Fall gleicher geſtalt verſchrieben, auch nicht allein die onera matrimonii, ſondern auch die auf dem Hauſe hafftenden Schulden übernommen, ſich veroffenbaret, hiernächſt Beklr. daß von ſeiner Ehe-Frau herrührende Hauß, zu einer Zeit, da ſie die freye diſpoſition über das Ihrige gehabt, mit obgedachten nicht geringen Beſchwerungen, wircklich in Lehn und Würden bekommen, demnach, daß Er ſolches titulo lucrativo erhalten, nicht behauptet werden mag, dahero Kläger daran einigen Anſpruch zu machen um ſo viel weniger berechtiget, als aus denen Acten, daß Beklagter von der libellirten Schuld-Poſt, bey Uberneh-

mung

mung dieſes Hauſes etwas gewuſt, und Klägern dadurch um ſeine Forderung zu bringen gemeynet geweſen, kein hinlänglicher Verdacht entſtehet, vielmehr das Gegentheil, da, auſſer dem Hauſe, noch verſchiedene pretioſa und andres Vermögen vorhanden geweſen, allerdings zu vermuthen, auſſerdem, daß die von Beklagtem geſchehene Gegen-Verſchreibung nur ein Schein-Handel geweſen, und Beklagter nichts in Vermögen gehabt, aus des Beweis-Zeugen Auſſage fol. 87. b. ſeqq. nicht erſcheinet, ſondern daß er von Vermögen nicht gantz entblöſſet geweſen, aus dem, nach des Zeugens Depoſition ad art. prob. 40. fol. 88. ihm gegebenen Credit, und da ſein Ehe-Weib mit dieſen Gegen-Verſprechen wohl zu frieden geweſen, nicht ohne Grund geſchloſſen werden kan, folglich derſelbe von ſeinem wohlgewonnenen Eigenthum, die von ſeinem Ehe-Weibe vor der Verehligung gemachten Schulden zu bezahlen, nicht verbunden, dahingegen Beklagter von ſeines Ehe-Weibes übrigem, ihm überhaupt zu geſchlagnen, Vermögen, ein mehreres, als nach Bezahlung derer Schulden übrig geblieben, nicht an ſich bringen können,

l. 72. D. de *iure dotium*,

folglich auch die libellirten Schuld-Poſten von dem Uberreſte, deſſen Betrag durch den geſchwornen Eyd noch nicht in Gewißheit geſetzet worden, und ohne eydliche Specification nicht wohl ausfindig zu machen, zu bezahlen ſich nicht entbrechen, gleichwohl, da Klägers Suchen zum Theil ungegründet, zu Erſtattung derer Unkoſten nicht angeſtrenget werden kan,

So iſt, als im Urthel enthalten, von Uns billig erkannt worden.

VD18 15207192

Digitized by Google